

SECTIO III.

CAP. I.

De Ordinando studio Philosophiæ Practicæ.

§. 1.

Philosophia Practicæ tres partes numerantur, *Ethica*, *Politica* & *Oeconomica*: Quarum illa bonum virum; ista bonum civem; hæc bonum patremfamilias formare debet.

§. 2.

Ethica, quæ bonos mores instillando, vivere honestè docet, non uno modo tradi solet. (1) *Veteres*, ut *Poëta*, & in primis *Stoici*, morum præcepta egregiis sententiis complexi sunt, quos inter recentes scriptores *Lipsius* videtur imitatus. Sed illos omnes superant *Proverbia Salomonis*, *sententia Syracidis*, & *libri sapientiæ scriptor*. (2) *Theophrastus Eresius*, per *characteres* seu notationes, mores hominum descripsit, quas *Isaacus Casaubonus* erudito

commentario illustravit. (3) *Aristotelici & Scholastici* definitiones virtutum & vitiorum exhibent, præmissa doctrina de summo bono. Qvi modus tractandi Scholæ magis, quàm vitæ accommodatus est. (4.) *Cicero de officiis*, libro non suo pretio æstimato, & laudatus *Dn. Pufendorfus*, libro *de officio hominis* juxta legem naturæ, *Ethicam* vitæ civili accommodarunt, quam qui legerit attente, usum ejus abunde tum in jurisprudentia, tum in vita communi deprehendet.

§. 3.

Sunt & *Ethicæ* doctrinæ condimenta quædam; puta Poëmata moralia, quæ sunt Euripidis Tragoediæ selectiores, Comœdiæ Terentii, Horatii Sermones, carmina, quæ Pythagoræ vocantur. His *Enchiridion* *Epieteti*, cum fusiore interprete *Arriano* addi debet. v. *H. Grot. dissertat. de studiis bene instituendis* p. 4. Quia verò magnum momentum in actionibus humanis, quas

quas *Ethica* moderatur, conscientia habet, *Roberti Sonderfoni tractatus de obligatione conscientiae*, diligenter evolvendus est.

§. 4.

Si quibus vero *Aristotelem*, cum Scholasticis, magistrum omnino sequi placet, *D. Horneji Philosophiam moralem* sibi familiarem reddere possunt: aut, qui hoc brevior est, *Baeleri libellum memorialem Ethicum*, cum *B. nostri Thomasi Tabulis*, quæ instar lexicæ eruditi in *Aristotelis* libros *Ethicos*, esse possunt. Legum studiosis *D. Job. Schilteri*, viri celeberrimi, *Manuductio Philosophiæ Moralis ad veram, nec simulatam Jurisprudentiam*, & *D. Fr. Eisenharti Jcti & Philosophi nobilissimi*, amici nostri æstumatissimi *institut. Jur. Natur. in mor. Philosoph. doctrinæ Representatio*, hic præ cæteris libellis *Ethicis Aristotelicis*, lectu utiles erunt. Ausim tamen ex *Ethica Pythagorica* doctissimi *Omeisii*, si non majorem, certe

C § parem

parem utilitatem juventuti studiosæ promittere. Adde ejusdem *Ethic. Platoniam* Altorf I publicatam.

S. 5.

Cui tamen volupe est, more Scholastico, penitius *Ethicam* Aristotelis inspicere, is *Nicomachica* evolvat cum *Giphanii* vel *Acciajoli* commentariis. Ubi veterum sectarum discrimina simul noscenda: Quid senserit Pythagoras, quid severa porticus; quid vetus & nova Academia, quid hortulus Epicuri. His enim ignoratis, magna juvenibus in veterum libris oboritur caligo, quæ ex historia Philosophica dispelli potest. Sed hæc illis, qui otio abundant, & in his literis velut arcem aliquando constituere volunt, tantum svademus; cæteris, qui alium studiorum scopum habent, compendiaria notitia sufficiat.

S. 6.

Rectius faciunt, qui doctrinam juris naturæ & gentium hic ceu Philosophiæ civilis partem præcipuam excolere instituant.

stituunt. Nam ea ex lumine rationis, officia hominis communissima, præcipue quæ ipsum cum aliis hominibus, aut societatem cum societate alia reddunt sociabilem ostendunt; qui scopus Philosophiæ moralis est. Nam ad quem modum jus civile, ex legibus civilibus, officia hominis, quatenus peculiaris & definitæ civitatis membrum est, describit; ac adeo doctrinam illam juris universalis præsupponit, quod ubiqve unum est: ita jus naturæ officia hominis, in quacunqve civitate degat, universaliter definit. *V. Pufendorf I Præfat. in libr. de offic. Hom. & civis.*

§. 7.

Cæterum Vulgaris Ethicæ doctrinæ placita ex Aristotele petita, vitæ nostræ vel formandæ vel emendandæ parum prodesse, cum alii, tum non ita pridem *illustris Dn. Seckendorffus im Christen Stat libr. I. c. VIII. §. 6. & libr. III. c. VIII. §. 6.* animadvertit, & ne quis ex eorum numero, qui Aristotelem con-

summatores humanæ sapientiæ etiam in hac philosophiæ parte crepant, novam forte hanc sententiam putet, in *Additionibus* p. 317. iudicium D. Lutheri super Ethicis Aristotelis recitat: Desselbigen gleichen ist das Buch Ethicorum ärger denn kein Buch/ und stracks der Gnaden GOTTES und Christlichen Tugenden entgegen. das doch auch der eines wird gerechnet. O nur weit mit solchen Büchern von allen Christen! darff mir niemand auflegen / ich rede zu viel oder verwerffe / das ich nicht wußt / lieber Freund / ich weiß wohl / was ich rede / Aristoteles ist mir so wohl bekant / als dir und deines gleichen / ich habe ihn auch gelesen und gehöret mit mehrerm Verstande / denn S. Thomas oder Scotus, deß ich mich ohne Hoffart rühmen / und wo es noth ist / wohl beweisen kan. T. 1. 505.

§. 8.

Equidem præcepta Ethica, quæ ex principiis lumini rationis cognitæ deducun-

ducuntur, non spernenda aut ex Scholis proscibenda dixerim; cum ipse gentium Apostolus in arguendis gentibus illa respexerit, & ut Christianos, qui sanctiore disciplina imbuti fuerant, in ruborem daret, allegarit. *Rom. I. II. & 1. Cor. V. 1. 2.* Alio tamen modo, præcepta morum, ex jure naturæ derivari, & ad diversos hominum in civitate Christiana status, adplicari posse, arbitror: ut, ubi desineret Ethicus, h. e. Professor juris naturæ & gentium, inciperet Theologus moralem theologiam ex sacris literis traditurus. Quam tamen sententiam, si forte illis, qui in Aristotelis sententiis mordicus tuendis consenuere, non omni ex parte sese adprobet, nolo cuiquam obtrudere. Per me omnia Aristotelis placita in oraculorum vicem adorentur & sancta habeantur. Libertas interim circa res rationi subjectas sentiendi mihi placet.

§. 9.

POLITICA, jam sequitur, quæ do-

C 7

cet

cet remp. bene instituere, & institutam recte gubernare. Ea plerumque ex Aristotelis opere politico hauriri solet. Et fatendum est, usum ejus aliquem esse, imprimis si Commentarii aliqui, ut *Giphanii, Scheurlii, Piccarti & Cl. D. Meieri, Conringii introductio in Polit. Aristotelis* jungantur. Enimvero quia Aristoteles præ oculis cum primis habuit respublicas Græcas, quæ maximam partem fuerunt Democraticæ; non video quomodo inde tanta utilitas hodie in nostris rebus publ. sperari queat, quanta vulgo prædicari solet; cum status rerum publ. quæ nunc in Europa vigent, maximam partem sit monarchicus. Ne dicam, opus Aristotelis esse imperfectum & velut supplementum Platonis de Republica, & legibus librorum.

§. IO.

Itaque hic partim recentes, partim veteres consulendos putarim; sed observato diverso studiorum scopo, & studio-

studiosorum sorte. *Quidam* enim per fortunæ & scopi sui rationem, compendia tantum politica sectari possunt; cum arctiore gyro includere diligentiae suæ cursus oporteat; *quidam* vero solidiorem Politicæ cognitionem affectant ob alium studiorum scopum. Illis sufficit compendium aliquod, ut *Cellarii*; vel quæ majorem usum præstant, *Bæcleri institutiones Politicæ*, imperfectæ licet, & *Pufendorfii* liber egregius de officio civis, cum *Lipsii Politicæ*. His vero qui supra vulgum sapere hac in studiorum parte gestiunt, alii scriptores jungendi sunt, quos *H. Comringius* in libro de civili prudentia c. XIV. commendat.

§. II.

Nos salvis aliorum judiciis, hic partim veteres, partim recentiores, nominabimus scriptores in civili prudentia celebres. Ex veteribus præter *Platonis* libros de *Republ.* & *LL.* evolvi merentur *Eclogæ Polybii* ὅτι πολιτικῶν, oratio

Macc-

Mecenatis & Agrippæ ad Augustum apud Dionem Cassium; Sallustii Epistole ad Cæsarem, vitæ Periclis, Catonis, Græchorum, Demosthenis & Ciceronis a Plutarcho descriptæ, in quibus eorum sapientia civilis simul exponitur. Si quis historiæ Romanæ peritus est, magnam utilitatem ex Epistolis Ciceronis ad Atticum, & alios quosdam, percipere potest. In illis enim præcepta politica generalia ad hypotheses suas aptantur. His jungendus est C. Tacitus, πολιτικῶτα scriptor, & Xenophon in Cyropædia. Confer Gabrielis Naudæi Bibliogr. Politicam & J. G. Sulpicii Jct. Epistolam de studiis Academicis juvenis Nobilis recte instituendis.

§. 12.

Recentiorum Politicorum magnus est numerus. Nos illos distingvemus, præcipuos tantum nobisque notos nominaturi. Nempe *quidam* politicam doctrinam in artis systema redegerunt ac certo ordine pertractarunt, ut *Petrus Greg. Tholosanus*: qui doctrinam de legibus

legibus in primis copiose tractat, & propter diffusam eruditionem, multa immiscet aliena de moribus gentium, ut *Job. Bodinus de Republica: Henningus Arnifans in Relectionibus Politicis*, qui digressiones intempestivas faciens, jus publicum miscet cum politica generali. *Quidam* partem tantum Politicæ tradidere, ut *Nicol. Machiavellus in libr. de Principe, Cyriacus Lentulus in Aula Tiberiana, & Principe Absoluto: Hi enim* statum Monarchicum tantum describunt. Quibus aliqui apponunt *Althussum & Henonii* scripta politica; sed hi monarchomachi sunt manifesti. *Quidam* Aphorismos tantum politicos & axiomata collegerunt, ut *Lipsius in Monitis Politicis, Durus de Pasculo* (h. e. Eberhardus à Weihe) in *Aulico Politico, D. Sprengerus in Axiomatibus status; Francisc. Guicciardinus in Hypomnes. Politicis. Quidam* partem Politicæ nobilissimam de *jure Nat. & Gent.* excoluerunt, ut duumviri incomparabiles,

H. Gra-

H. Grotius & Pufendorfius; quibus ad-
 di merentur nobilissimi viri, *D. Kulpi-*
sus in Collegio Grotiano, & *D. Thoma-*
sus in Jurisprud. divina. Quidam a-
 liam partem tradiderunt, ut *Carolus Pa-*
schalius de Legato, *Arniseus de jur. Maj.*
Lampadius de natura nummi; it. *Arni-*
seus de subject. & exemptione Clerico-
rum: de *fœderibus*, *Wharemundus de*
Ehrenberg, *Baudius de induciis Belgicis*.
 Quidam regulas prudentiæ civilis, sub
 certis schematibus dedere, ut *Trajanus*
Boccalinus in Relationibus ex Parnasso,
Barclajus in Argenide sua, *Didacus Sa-*
veda in Emblematis suis, *Baconus de*
Verulamio in Sermonibus Fidelibus.
 Sunt & alii miscellanei scriptores poli-
 tici, ut *Forstnerus in not. ad Tacit. Ma-*
chiavellus in Dissert. ad Livium, *Ber-*
neggerus in Quest. ad Tacit. Lipsius in
Monitis Politicis, *Piccartus in observat.*
historico-polit. Conringius in Dissert. A-
cademicis, it. *Bœclerus & Becmannus in*
Meditationibus Politicis, & similes.
 Conf.

Comit. Gabr. Naudæi Bibliograph. Politicam, & laudati jam J. G. Sulpicii Dissertat. elegantissimam cit.

§. 13.

Heic notandum est, *duplicem esse prudentiam* civilem vel *politicam*, alteram *communem* seu *universalem*; alteram *singularem*. Illa quæ ad statum reipublicæ in genere formandum aut regendum faciunt, tradit: *Hæc*, quæ ad statum hujus vel illius reipublicæ speciatim tractandum pertinent, completens, magis ex historia alicujus civitatis & rerumpublicarum scriptoribus, nec non usu & tractatione rerum civilium, quàm ex libris & præceptis discitur. Tales sunt *Contarenius de Republ. Veneta*, Johannes Boterus in *Politica imperiorum, Regnorum, Rerump. Philippus Honorius in Thesauro*, Gaspar Ens in *Relationibus*, *H. Grotius de Republ. Batav.* *Pufendorfius in Isagoge ad notitiam Regnorum & Statuum præcipuorum in Europa.* Similes fere ex officina

officina Elzeviriana, de aliis Rebuspublicis prodierunt libelli plures. Interim illam Politicam universalem, ceu fundamentum præstruere oportet, antequam particularem & singularem quis addiscere incipiat.

§. 14.

Ubi tamen notari velim, præter doctrinam, quæ ex libris hauritur, requiri in discente, indolem excitatam vel ingenium civile, quod practicum vocant; & usum præterea rerum, quæ experientiam civilem parit. Hæc enim tria si concurrant, perfectum efficiunt politicum, qualem civitatis & aulæ negotia postulant.

§. 15.

Sed in studio hoc, confusio, quæ Politicæ universali, vel jus civile, vel publicam commiscetur, vitanda est. *Politica* enim *generalis* agit de republica in genere, juxta legem naturæ ordinanda: *Politica specialis* vel *particularis* agit de reipublicæ alicujus singularis statu,

statu, & vulgo jus publicum vocatur. Jurisprudentia Romana, leges civiles, quæ cives reipubl. Romano-Germanicæ jam obstringunt, exponit; adeoque pars Politicæ specialis est. Non ergo abs re fuerit, circa methodum tradendi τὰ πολιτικά, in gratiam tironum quædam hic præmonere.

§. 16.

Nempe cum in Disciplinæ hujus tractatione omnis occasio confusionis, tum quæ ratione materie, tum quæ ratione modi tractandi deprehenditur, præcidenda sit; breviter meam hic mentem, salvis tamen aliorum sententiis, edisseram.

§. 17.

Ac quod materiam seu argumentum civilis prudentiæ attinet, putarim illos optime philosophari, qui primum de civitatis & Reipublicæ origine ac interna ejus structura, ea methodo, quam vir in his literis summus, Pufendorfius, in libello de cive, & in opere de Jure Na-

turæ

curæ & Gentium libro VII. prævit, tractant. Nemo enim recte instituere & bene regere civitatem potest, nisi ut coaluit primum, indeqve de indole ejus atqve natura ipsi intimius constet.

§. 18.

Deinde de modo gubernandi rempublicam, inqvirendum. Qvod, nisi forma rerumpublicarum, summi imperii indoles, partes ejus, & jura sciantur, fieri neqvit. Igitur de his capitibus, ductu sanæ rationis, qvem laudatus modo *Pufendorfius* observavit, distincte agendum est.

§. 19.

Tertio, cum finis omnium rerumpublicarum, sit felicitas sive salus publica; de hac agendum, demonstrandumqve venit in quo consistat. Hoc est, *primum* discrimen honestorum & turpium ex jure naturæ & gentium, qvod hujus disciplinæ pars haut ignobilis est, tradi debet: *Secundo* utilium & noxiorum distinctio & electio proponen-

ponenda est. Quæ duo minime divellere licet. Nisi enim utilium in civitate declarationi ratio honestorum, consilio jus, actioni decus adjiciatur, exitialis error, quem *Machiavellus* & *Hobbes* reduxerunt, nascitur, qui rerum publicarum vitalia exedit atque labefactat.

§. 20.

Hac methodo in generali Politica primum observata, ad *specialem*, quæ de republica hac vel illa singulari agit, descendendi potest, v. gr. de Romano-Germanica, de Gallica & aliis. Nam qui hanc cum Politica generali miscent, bonæ methodi regulas transgredi ac confusionem parere, in aprico est. Imo cum in nostra Germania, Principes, suas ditiones velut respublicas particulares seorsim regunt; opus est, ut illorum status administretur, etiam sciamus. Id vero, quod sciam, nemo melius *illustri Domino Seckendorffo*, viro prudentiæ civilis callentissimo tradidit in libro,

libro, cui titulus, *Teutscher Fürsten Stat.*

21.

Circa *modum tractandi*, confusio-
nem in hac disciplina non vitant, qui
civilem prudentiam generalem, ex ve-
ra Philosophia hauriendam, vel cum
jurisprudencia civili & jure publico,
vel etiam cum Theologia miscent. E-
quidem non negem, posse a Theologia
& sacris literis aliquid præsidii hic ac-
cerferi; sed confusionem abesse oportere,
prudentes hujus scientiæ doctores
monent. Verum enim est, quod sacra
scriptura plurima inculcet præcepta,
quæ & ipsa Politica tradit: hujus ta-
men, non illius disciplinæ est, eorun-
dem necessitatem ex ratione demon-
strare.

§. 22.

Tandem in *modo tractandi* impin-
gunt, aut non satis idonei doctores ci-
vilis prudentiæ putantur, qui discipli-
nam vitæ civili natam, meris formulis
artifi-

circa sacra, de regimine Ecclesiæ, de officio imperantium, civium & parentium explanare aut describere sustinuerit: aut quando libros Josuæ, Judicum, Samuelis aut Regum explicare voluerit. Ubi multa, quæ ad jus belli & pacis pertinent, tractanda occurrunt.

§. 24.

Ultima pars Philosophiæ practicæ, est *Oeconomica prudentia*, quæ, cum pro locorum varietate diversa sit, certis regulis comprehendi nequit. Aristoteles duos de illa libros reliquit, qui modos acquirendi in Græcia usitatos monstrant, cum quibusdam regulis nostratium etiam œconomicæ convenientibus. Duæ autem vulgaris œconomicæ species sunt, *urbana* & *rurestris*. Alia enim rei familiaris administratio obtinet in urbibus; alia ruri & in pagis. Ultraque modos acquirendi certos habet, quibus solerter uti oportet. In *Rurestri* sunt agricultura, res pecuaria, piscatio & cauponatio. In *urbana* sunt

sunt mercatura, opificia, cauponatio & usura. Regulæ generales, quas patrem familias observare decet, sunt: (1) ut provide diligenterque familiæ necessaria procuret: (2) ut impensarum modum redituum modo metiatur: (3) ut omnem rem familiarem ipse norit, suaque cura complectatur: (4) ut non parta tantum tueatur, sed, pro re nata, rem familiarem justis modis augere studeat, quæ ars *χρημαλιστική* vocatur, & usu magis, quam præceptis addiscitur.

CAP. II.

De Ordinando studio Politicæ specialis, seu Juris Publici.

§. I.

JVS PVBLICVM vulgo accipitur pro notitia reipubl. Romano-Germanicæ. Juxta descriptionem Justinianæ, est descriptio status reipubl. Romanæ. Sed imperium Romanum, quod olim fuit, diu extinctum est. Igitur sta-